LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS

DE

particula CUM

commentatio grammatica.

qua ad

Solemnia literaria Christianei Regii

d. IV. et VI. April,

concelebranda

INGENUARUM LITERARUM FAUTORES

humanissime invitat

J. H. C. EGGERS,
Gymnasii Director et Professor, Equ. Ord. Dannebr.

ALTONAE,
EX OFFICINA HAMMERICHI ET LESSERI
MDCCCXXXVIII.

De particula CUM
commentatio grammatica.

I.

Acri, quo ars grammatica nostris temporibus tractatur, studio multa, quae olim simpliciter et universe poni solebant, iam melius intellecta, subtilius definita, acutius disputata sunt. Ac *modorum* quidem rationem, ut hanc e multis eligamus, iam ita videmur perspectam in universum et exploratam habere, ut, ubi olim huius vel illius verborum conformationis causa latebat, ibi nunc facile reperiamus, quo eam, quam libri manu scripti exhibent, scripturam, quamvis primo aspectu miram atque insolitam, aut cum communi omnium consensu, aut non sine magna aliqua veritatis specie defendamus. Iam non amplius audimus, coniunctivum in quibusdam dicendi formulis elegantius usurpari; vix, coniunctionem aliquam hunc vel illum modum regere. Quo verbi modo in singulis enuntiationibus utendum sit, ipsa mens et cogitatio definit; accedunt coniunctiones, ut, qua ratione duae sententiae inter se connexae sint, clarius ostendant.

Sed quamvis diligentissime cum omnes fere grammaticae loci, tum hic, qui de coniunctionibus verborumque modis exponit, a multis saepe pervestigati sint: tamen non omnia iam ita videntur expedita atque explicata esse, ut ad ea, quae feliciter tentata sunt, aut supplenda aut stabilienda nihil quidquam afferri possit. Videtur potius eorum, quibus, solemni occasione oblata, libelli scholastici edendi negotium mandatum est, officium esse gravissimum, quae inter legendum et commentandum probabilia grammatica se invenisse arbitrantur, ea nonnunquam non solum discipulis suis uberius explicare, sed doctis etiam peritisque hominibus diiudicanda proponere. Quod cum mihi persuasum sit, quae ipse mihi adhuc observasse videor, non deterritus eorum auctoritate, qui his temporibus eius-

modi disputationes leves et futiles esse asseverant, nonnunquam, etsi non sine aliqua vel dubitatione vel diffidentia, fusius persequi conabor.

II.

Ex *Latinae linguae coniunctionibus*, ut eo, unde deflexit, redeat oratio, prae ceteris digna est, quae maiori cura ac diligentia pertractetur, particula CUM, quippe quae diversissimum usum habere videatur. Coniunctionem eam dico; possum etiam *adverbium*, cum ex iis, quae nuper subtiliter disputavit *Schneiderus* (academ. Vorles. über griech. Gramm. I. p. 214.), vix dubitari possit, quin coniunctiones, exceptis fortasse paucis quibusdam, quas principales vel primigenias appellare licet, ex adverbiis ortum habeant. Adverbium esse particulam *cum* in multis enuntiatis, in quibus aut ad substantivum aliquod vel positum vel facile supplendum refertur, aut ad temporis adverbium, quod eius correlativum vulgo dicitur, per se apparet; coniunctionem in multis aliis facile agnoscas, quamquam ne in his quidem, quae eius primitiva, unde deflexa sit, potestas fuerit, quemquam fugere poterit.

Ex pronominum enim radicibus maximam partem ortas esse particulas, cum res ipsa declarat, tum ex grammaticis repetiit nuper *Benary* (röm. Lautl. I. p. 300), *Boppium* secutus. Quo posito, ii videntur errare, qui, ut nuperrime *Feldbauschius* (bat. Schulgramm. p. 544), particulam *cum* a praepositione non diversam esse statuunt, utramque a Graeco vocabulo ξύν ducentes, quo *tempus idem* significetur. Usitatam explicationem a pronomine relativo repetitam confirmant ea, quae afferunt, qui nostra memoria ad Indorum linguam confugiunt, quaeque omnium optime explicasse constat *Schmidtium* (de pronom. Gr. et Lat. p. 31, coll. p. 96). Sed quidquid contra dicunt nonnulli (*Perizon.* ad *Sanctii* Minerv. I, p. 508; *Grimm* deutsche Gramm. III, p. 300), ego iis, qui particulam *cum* accusativum esse non masculini, sed neutrius generis putant (*Weissenborn* *) Synt. d. lat. Spr. §. 224, *Pott.* etymol. Forsch. II, p. 149), non solum propter aliorum adverbiorum Latinorum analogiam assentior, sed propter eam etiam, quam cum Graecorum particula ὅτε habet, similitudinem. Scripturam denique huius vocabuli ex arbitrio pendere, et antiquissimis pariter ac recentioribus temporibus fluctuasse, recte

---

*) *Idem* in libro, qui nunc ipsum mihi affertur (lat. Schulgr. p. 475.), nihil definit.

observavit *Lindemannus* (de adv. Lat. I, p. 17). Quamquam igitur qui significationis diversitatem diversis literis notare volunt, non videntur esse vituperandi, nos tamen eam formam amplexi sumus, quam ita commendant codices, ut *Freundius* (Cic. Milon. p. 34) „adverbium hoc temporis iam in remotiore antiquitate propter frequentissimum usum veram suam formam amisisse," iure contendisse videatur.

III.

De *constructione* (hoc enim nomen orationis conformationi cum praeceptis grammaticis congruenti iam veteres grammatici posuerunt, quae vix alio vocabulo satis distincte appellari possit,) de constructione igitur huius particulae equidem cum *Neukirchio* (de indicativo et coniunctivo modo in utenda *cum* particula, I, p. 8) ita consentio, ut eam nobis regulam quaerendam esse iudicem, quae totam rem conficiat. Haec tamen tum demum satis dilucide explicari et diserte proponi poterit, ubi, quae eius vis prima et propria fuerit, quis usus, quae vera huius usus ratio, diligenter pervestigatum erit.

Cum igitur cum sit accusativus pronominis relativi, accusativus autem natura sua id significet, in quod vel per quod actio aliqua pertineat; quaerentem, quid sit, per quod, ubi *cum* ponatur, mentis penetret agitatio, consuetudo sermonis continuo docet, id unum semper *tempus* illud esse, in quod actio illa incidat. Significabat igitur ab initio *per quod*, i. e. *per quod tempus*, idque ita, ut non solum aut longius aliquod aut brevius eius spatium, sed interdum vel unum eius momentum designaretur. Ubi de temporis spatio, per quod actio pertinet, usurpatur, ibi idem fere esse putant, quod particulam *dum*. Designat enim unum aliquod temporis spatium, quo duae res simul geri narrantur. Sed interioris earum nexus notionem aliquam accedere, quod statuit *Handius* (Tursellin. II, p. 291), equidem mihi persuadere non potui. Videntur potius hae particulae ita tantum inter se differre, ut, cum soli tempori definiendo *cum* inserviat, *dum* initium eius simul et continuitatem et terminum designet, quod ex ipsa grammatici illius praestantissimi disputatione effici arbitror. Ubi autem unum tantum temporis momentum cogitatur, ibi aut *eo ipso tempore*, aut *ex eo* fieri aliquid aut locum habere dicitur. Priori significatione si ponitur, propter vulgarem cognatarum notionum permutationem sunt, qui i. q. *ut* vel *ubi* esse existiment, quorum illud modum, hoc locum proprie indicare notum est; posteriori ad temporis initium pertinet, ait *Neukirchius* (l. c. p. 41). Recte; nota est enim

consuetudo sermonis Romani, qua res eo tempore gesta esse narratur, quod post gestam eam praeteriit. (*Zumpt's* Gr. §. 478; *Feldb.* Gr. §. 518). [Sed poterat addi, *vel ad finem*, quod tum locum habeat necesse est, si de tempore futuro loquimur. Videri potest in his accusativus ablativi locum obtinere (Weissenborn. Synt. §. 224, 3, Anm. 1; Gr. §. 443, Anm. 1); sed quid attinet monere, qui dicat, *quo tempore* aliquid fiat, eum solere *totum* id tempus, etsi vel brevissimum, cogitare, *per quod* rem, quam narrat, pertinere putet? *Postquam* denique, quod ad explicandam particulam *cum* non raro adhibetur, nihil aliud significat, quam alteram rem iam perfectam fuisse, cum altera susciperetur; *cum* autem, ubi eadem fere ratione cum praeterito coniungitur, semper tempus ipsum designat, quo, una re perfecta atque absoluta, altera suscipitur.

Tempus denique, quo aliquid fieri dicimus, cum non solum unum quoddam sit, sed ita etiam possit cogitari, ut redeat identidem et quasi saepius renovetur, crebro fieri videmus, ut, ubi *cum* de tempore ponatur, ibi tempus illud non semel incidere vel incidisse, sed saepius videatur, ut respondeat fere adverbio *quoties*, quod ad hunc usum illustrandum adhibere solent interpretes. Sed hic quoque suam et propriam retinet naturam. Ubi enim adverbio *quoties* utimur ad actionem multis intervallis repetitam significandam, tum omnia, quibus aliquid fecimus, tempora mente et cogitatione comprehendimus, et in unam quasi notionem animo colligimus; ubi autem *cum* pro *quoties* positum esse volunt, ibi ex singulis temporis momentis, quibus rem fieri potuisse cogitamus, unum semper quoddam eligimus, quod eam occupasse pronuntiamus.

Iam facilis est transitus ad *causalem* particulae *cum* significationem. Quod enim nunc grammatici non solum de casuum et praepositionum usu, sed etiam de participialibus, quae vocant, et adverbiis praecipientes docent, quidquid de ipso tempore dicatur, id etiam adhiberi posse ad ea omnia designanda, quae per ipsum illud tempus oriantur, quo quasi inclusa teneantur, quo sustententur atque iuventur, cuius ope quodammodo in veritatis lucem tandem prodeant; itaque qua verbi forma tempus declarêtur, eadem causam quoque vel condicionem posse significari: hoc etiam ad hanc, quam nos illustrandam suscepimus, particulam transferendum esse patet. Ita nata sunt, quae de *cum causali* praecipiuntur, quippe quod per se de eo tempore usurpetur, per quod actio pertineat quo tota contineatur, ex quo tandem oriatur. Ita clara simul et manifesta sunt, quae de usu eius adversativo, eoque paullo frequentiori fortasse, quam particulae condicionalis *si*, traduntur. Quemadmodum enim condicioni non semper respondet, sed adversatur adeo

id, quid ei adstrictum est, ut *si* pro *etsi* positum esse dicant (*Cic.* Off. I, 43, 153, *Kritz.* ad *Sallust.* Iug. 85, 48): ita, cum causae allatae non raro repugnet exitus, *cum* pro *quamquam* vel *quamvis* usurpatum esse putant. Ab hoc loco alienum est, de particularum adversativarum in enuntiationibus, quas ὑποτακτικάς dicere possis, positarum vi ac potestate disserere; illud admonuisse sufficiat, oppositionis vim non in ipsa particula *cum*, sed in re ac sententia totiusque orationis conformatione inesse; *cum* ad causam in tempore ipso latentem semper esse referendum.

IV.

Ita iam videmus, quae propria particulae *cum* notio fuerit, qui usus eius varius, quomodo alia ex alia apta et necessitate quadam nexa sit significatio. Ex uno enim fonte communi manasse omnia, certum videtur esse ac satis exploratum. Ad constructionem igitur illustrandam accedentes vulgaris regulae refutandae labore ut supersedere possimus, *Neukirchii* (l. c. p. 5—8) effecit diligentia. Nec vero quemquam arbitramur assensurum esse *Kaysero*, ad *Cic.* Divin. II, 56 ita praecipienti: „*cum* construitur ut *postquam*, quod requirit perfectum indicativi, ut c. 52 *quia* cum coniunctivo ponitur, positum pro *cum*: universe tenendum est, coniunctiones eiusdem vel similis significationis contra vulgarem usum saepe eandem admittere constructionem.“ Certam tutamque viam ii soli ingressi sunt, qui ex pronominis relativi natura omnem huius vocabuli constructionem repetendam esse docuerunt. Hanc viam persecuti particulam relativam *cum* pro sententiae, quam eloquamur, natura modo indicativum, modo coniunctivum requirere, neque per se quidquam referre statuimus, utrum temporalem, quam vocant, an causalem habeat significationem. Indicativus igitur cum ubique aut sententiam certam atque undique exploratam, aut rem vere gestam declaret, hunc apparet semper debere sequi particulam *cum*, ubi id tempus vel id temporis spatium commemoramus, quo aliquid vere aut fieri, aut factum esse, aut factum iri certo scimus, ut nec tempus incertum sit aut ulla ex parte infinitum, nec de re ipsa, qua designatur, quisquam possit dubitare. Si solum tempus, nec quidquam praeterea intelligitur, non est, qui repugnet: omnes ad unum uno ore concedunt; sed magna oritur controversia, si quis, ubi haec eadem particula *cum* ad condicionem vel causam declarandam transfertur, eandem rationem tueri conatur. Ait *Moserus* (ad *Cic.* Legg. II, 4): hoc ipsum, quod singulares quidam loci laudari debent, ut probetur, *cum* idem esse, quod *quandoquidem*, satis est argumenti, ex uno libro Ms. eiusmodi locutionem

non esse commendandam. Emendare vult ubique *Otto* (ad *Cic.* Fin. I, 4), provocans ad *Orellium*; *quum* enim et *quando* et *quoniam* uno compendio qm̄ et qn̄ in codicibus scribi affirmat. *) Confugit *Kritzius* (ad *Sallust.* Iug. 102, 5), *A. Grotefendum* laudans, ad interiorem **) aliquem vel externum nexum, „ut indicativo externa tantum temporis diversi ratio indicetur.“ Ita hoc auctore *cum*, ubi cum indicativo copulatur, in omnibus, qui ad probandam causae significationem afferri solent, locis causae vim non habet; merum tempus significat. Verbo probabat indicativum, re cum Kritzio, vel potius Grotefendo consentiebat anno superiori *Kuniss* (ad *Cic.* Or. II, 37), indicativi patronos et defensores enumerans. Ubi ad temporis notionem condicionis aliqua accedit significatio — quomodo differat *cum* a condicionali particula *si*, ex iis locis facile intelligitur, quos habet *Feldbausch.* l. c. p. 555, — ubi igitur, ut *Stuerenburgii* verbis utar (ad *Cic.* Arch. 5, 10), condicione aliqua de re loquimur, de qua apud omnes constat, ibi rectissime ponitur indicativus. Quod autem in condicionem valet, cur idem non possit ad causam transferri, equidem me non videre fateor. Probo igitur *Ellendti* (ad *Cic.* Brut. c. 36) sententiam, tempus *definitum* indicativo notari statuentis; nollem adiecisset: *et ad tempus loquendi relatum:* hoc enim non omnibus, qui afferri possunt, locis quadrare, nemo, puto, est, quin videat. Ego sane non perspicio, cum ceteris particulis, quae ex eadem pronominis relativi radice natae, suo quaeque modo, causam significant, per se iungatur indicativus, cur idem ab hac particula excludendus sit, nisi forte, ubi ea ponatur, ibi continuo totam plane immutari naturalem modorum rationem praeter necessitatem concedimus. Manet igitur hic quoque regula supra proposita: Ubi tempus re aliqua vere gesta, quae simul causa est alius rei consequentis, ita definitum est, ut certum quoddam vel momentum eius vel spatium cogitandum sit, ibi suus indicativo locus est, non modo si causae allatae eventus respondet, sed etiam si quid secus, atque exspectatum erat, accidit, ut *cum* idem fere, quod *quamquam*, valeat.

Coniunctivi non minus aperta et simplex videtur esse ratio, sed magnas grammatici afferre solent difficultates totamque paene rem invertere. Praefracte enim omnes ad unum defendunt, cum mera particula temporali recte coniungi non posse coniunctivum; ubi in

*) Rarius hoc fieri dicit *Freundius* l. c. p. VIII. Sed *Otto* etiam Fin. V, 20 ex coniectura scribit *quoniam non possunt.*

**) Hanc interioris nexus notionem in hac voce ubique inesse, *Handium* statuere supra vidimus.

veniatur, et invenitur saepenumero, ibi causae notionem ad temporis accedere. Coniunctivo nunquam rem vere factam, sed mente conceptam et cogitatam efferri constat. Quaeritur igitur, quando eo opus sit in his sententiis temporalibus. Primum quidem nemo dubitabit, quin tum eo utendum sit, si quid ex mente alterius explicatur, ut tota suspensa sit oratio. Hoc fieri cum in obliqua, quam vocant, oratione, tum si narrationi additur, quod consilium, quae ratio opiniove ad agendum maxime impulerit hominem, notum est. Deinde coniunctivus requiritur, ubi non tempus designatur actione aliqua, sed actio potius videtur ex tota temporis condicione facile oriri potuisse: nam sic quoque quod cogitatione fingitur, non quod vere est, eloquimur. Cogitatur denique cum animo ea quoque actio, qua universe vel infinite tempus designatur. Universe autem et infinite aliter id non potest designari, quam si incertum relinquitur, quo huius temporis momento, quo eius articulo, uno an pluribus, id, quod narramus, gestum sit. Praesens et Perfectum rarius ita usurpatum invenias, quod non mirabitur, qui horum temporum vim et naturam perspexerit; quamquam praesens non ita raro cum futuro componitur. Eo frequentius Imperfectum et Plusquamperfectum tempus infinitum notant. Etenim si dico: *ille cum erat in his regionibus,* primum totum illud tempus cogito, quo ibi commorabatur, deinde alteram, quam cum hac comparo, actionem per hoc idem tempus totum pertinuisse dico; sin: *cum esset in illis regionibus,* res sequitur, quae per totum huius temporis spatium aut semel aut saepius, incertum, quo eius articulo aut quibus, suscepta est. Plusquamperfecti coniunctivo utuntur Romani, si, perfecta actione altera, alteram inceptam esse dicunt, neque tamen, quo temporis insecuti momento, continuo an aliquanto post, id factum sit, definiunt. Indicativo posito, actio altera alteram eo tempore excipit, quo vel priorem ipsam, vel quae eam sequuntur, perdurare etiam cogitamus.

Tempus et quod in illud incidit, alius rei causam exsistere posse, supra vidimus; sed non solum definitum quoddam tempus, quod nota re et vere gesta designatur, verum multo magis infinitum, quod actione, quae ambiguam aliquam eius partem explet, universe notatur. Ita temporis notio quo magis infinita est, eo facilius propter eam ipsam causam, quod non satis distincta est, paulatim evanescit; remanet causae, quae, quo magis illa obscuratur, eo magis elucet et paene sola regnat. En regulae notissimae origo et natura, *cum causale* semper consociari cum coniunctivo. Quo iure id et quatenus fiat, iam satis apertum esse puto. Consentaneum autem est, quod de *cum causali* ita praeceptum sit, id tum quoque valere, si vim simul videatur habere adversativam. Iam

Matthiae (*Cic.* Mil. 35, 98) *cum* etiam *causale* temporis significationem habere observavit. *) Cum autem de eadem temporalis particulae significatione dubitaret, ea addidit, quae de significationum confusione docet; quibus vix cuiquam satis fecerit: nam Verr. III, 54 nuper *Klotzius* scripsit: *cum — copiae versatae sunt, tum;* **) in verbis autem (Agrar. II, 24): *tum cum haberet — et tum cum habebat* manifestum ego mihi anacoluthon deprehendisse videor.

Si vera sunt, quae adhuc disputavimus, id apparere exitsimo, particulam *cum* unam habere significationem, sed pro sententiarum varietate varie immutatam; unam constructionem, sed pro cogitatorum vi ac natura nunc indicativi nunc coniunctivi usu distinctam.

V.

Restat igitur, ut exempla insigniora (magna enim eorum silva est,) perlustremus, iisque sententiam propositam comprobare et confirmare studeamus. *Cum* igitur *temporale* cum relativum sit, primum quidem ad temporis vocabulum, (idque vel substantivum vel adverbium) ita se applicat, ut pro diversa enunciationum natura diversos temporum modos poscat. Ut igitur dicunt Romani: *eo tempore, quo populus Romanus alium ordinem ad res indicandas requirit* (Verr. V, 69); *diebus iis, cum plurimi solent esse in iis locis* (Planc. 26); *tempus quoddam, cum homines passim vagabantur* (Invent. I, 2), ubi ex iis, quae adduntur, tempus, quale fuerit, cognoscimus; *eo tempore, cum parere senatui necesse erat* (Ligar. 7); *tempus, cum ero* (Attic. XII, 18); *tempus, cum hic in me incidit* (Planc 41): ita dicunt iidem *tempus, cum gratias agam* (Attic. III, 3), *cum desideres* (Mil. 26), utrumque de aliqua temporis futuri parte, in quam actiones illas incidere posse cogitamus; *tempus, cum rura colerent homines* (Varr. R. R. III, 1, 1), ubi non, ut supra, tempus actione humana notatur, sed vita potius rustica discribitur, quam pro temporis antiqui condicione homines secuti esse dicuntur; ***) *biennium, cum nullum cubitum processerit* (Attic. XIII, 12), ubi Cicero non Varronem negat processisse,

*) Cum eo videtur consentire *Klotzius* ad Tusc. III, 28.

**) *Tamen*, quod ante *Klotzium* dederunt, usu elliptico, quem infra attingemus, defendi possit.

***) Huc non potest referri Fam. X, 3: *Scis, fuisse quoddam tempus, cum homines existimarent*, cum in his oratio sit obliqua.

sed se eum dicit cogitare non processisse. Ubi die quodam factum esse aliquid dicitur, ibi ea eius pars, qua factum est, aut diserte indicatur, ubi, qui temporum rationem in epistolis Romanorum perspectam habet non mirabitur, si nunc legit: *Nonis, Idibus proficiscebar, cum has literas dabam* (Attic. V. 2) vel *dedi* (Fam. II, 8), *) nunc *profectus sum, cum eas dedi* (Attic. VII, 18), aut infinite ita designatur: *Nonis, Calendis, cum essem Brundisii* (Fam. III, 4), *in Cumano* (Fam. IV. 2); *cum in Laterium fratris venissem* (Attic. X, 1). Ubi *cum* ad temporis alicuius initium refertur, cum solo, quod sciam, indicativo copulatur, ut in his: *multi anni sunt, cum in aere meo est* (Fam. XV, 14), *aliquot anni, cum vos delegi* (Attic. IX, 11), *permulti anni, cum nulla certamina fuerant* (Liv. IX, 33). Fuit, cum existimarem, particulam *cum* in his valere idem, quod *per quos* (Attic. III, 21); sed videntur ii loci obstare, ubi ipsum pronomen relativum ita usurpatum videmus (*Zumpt*, Lat. Gramm. §. 478.). Omissi substantivi exempla ex utroque genere inveniuntur. Ut indicativi rationem facile perspicimus, cum legimus: *est, cum non est satius* (Herenn. IV, 26); *fuit, cum hoc dici poterat* (*Liv.* VII, 32): ita promptam explicationem habent haeč verba Ciceronis (Or. I, 1): *Ac fuit, cum mihi quoque initium requiescendi concessum arbitrarer.*

Sententiarum, in quibus cum *ad temporis adverbium* referatur, duplicem esse rationem; nam aut veram temporis designationem aut epexegesim iis contineri, docuit *Neukirchius* (l. c. p. 50). Utrumque modum legitimum esse, quamvis ipse *Wolfius* (ad Tusc. III, 26) secus statuat, multa exempla docent. Pauca percurramus. Ut igitur recte dicitur: *nunc, cum laxati curis sumus* (Tusc. I, 19); *nunc, cum petitur* (Planc. 28); *tum, cum ex urbe eiiciebam* (Catil. III, 2. coll. Verr. IV, 21. Or. I, 31); *tum, cum consulem reliquit* (Tusc. IV, 23, coll. Verr. II, 29); *tum, cum in Asia res magnas multi amiserant* (Imp. Pomp. 7); *cum inimici nostri venire dicentur, tum in Epirum ibo* (Fam. XIV, 3. coll. Liv. XXIII, 13; Sen. Ep. 26): ita illa non minus recte se habent: *nunc, cum omnes me causae ad misericordiam vocent* (Mur. 3), quod aut significat, *me vocare puto*, aut *me vocant, quotiescunque de ea re cogito* (ἀορίστως); *tum, cum maxime consilio nostro subvenire communi saluti oporteret* (rem dicit, quam saepius necessariam fuisse putat), *in senatum non vocabamur* (Phil. V, 1); *nunc,*

*) *Proficiscebar*, cum imperfecto actio praeteriti temporis nondum absoluta designetur, de studio rei agendae et de apparatu accipiendum est. Vid. *Kritz.* ad *Sall.* Iug. 27, 1.

cum ipse causam neque veram dicere, neque falsam confingere audeat, P. Tettius haec eadem se cognosse dixerit (priore actione), *C. Varro haec se audisse dicat* (quoties eius rei mentio fit), *potestis dubitare* (Verr. I, 28); *Thucydides libros suos tum scripsisse dicitur, cum a re publica remotus esset* (Or. II, 13); ubi Cicero loquitur ex mente eorum qui dicunt, quod refert; *quam honestus tum erit adventus noster ad Pompeium, cum ipsum Curionem ad eum transiturum putem* (Attic. X, 8), i. e. cum verisimile erit, me putare, aut, quoties in eam cogitationem incidero, putabo.

Duo addere liceat exempla, in quibus quae constructionis ratio sit, neminem fugere poterit. *Cic.* Mur. 28: Neque enim si tibi *tum, cum peteres* consulatum, affui, idcirco *nunc, cum* Murenam ipsum *petas,* adiutor eodem pacto esse debeo. *Liv.* XLIV, 39: Quanto hosti facilius abire fuit, *cum procul abessemus*, quam nunc, *cum in cervicibus sumus?*

Omnibus his, quos adhuc attulimus, locis *cum* de eo tempore, quo quid factum esse narratur, accipiendum est; sed ibi quoque, ubi de tempore, quod saepius incidere posse cogitamus, ponitur, prout mens postulat, variari potest oratio. In paucis acquiescemus. Non solum dicitur: *cum sumus necessariis negotiis vacui, tum avemus aliquid addiscere* (Off. I. 4); *cum rosam viderat, tunc incipere ver arbitrabatur* (Verr. V, 10); sed legimus etiam: *tum, cum quaestor ad exercitum missus sis, repente relinquas* (Verr. I, 15)? cuius sententiae ratio eadem est, quae in similibus enuntiationibus hypotheticis, quas coniuncte elatas dicere liceat; *ne in senatu quidem satis aequis auribus audiebatur tunc, cum hostem verbis extolleret* (*Liv.* XXII, 25), quod saepius factum esse eo intelligitur, quod paullo post, huius generis orationes frustra habitas esse, legimus. Futuri exacti coniunctivum defendit Klotzius ad Tusc. IV, 23; eadem vero, qua ibi utitur, ratione videmur etiam *accesserit* Tusc. III, 26 tueri posse. *Epexegesis* exempla haec sufficiant: *quondam, cum mihi in isto studio adolescenti versari licebat* (Or. I, 30), ubi *Goerenzius* (Fin. I, 4) in *quondam* putabat *tum* latere; *nuper, cum arbitrabamur* (Attic. I, 3); *antea, cum erat legis agrariae mentio facta* (de leg. agr. II, 26); *nuper, cum delationem postularet* (in Caecil. 20); *postea, cum vidissent* (N. D. II, 35).

Cum solitarii exempla facile cumulari possunt; modum tenebimus. Primum igitur, particula *cum* de longiori aut breviori temporis spatio ponitur, in quod factum aliquod incidit, aut per quod pertinet. Praesentis indicativum tum potissimum poni docent, si duas res eodem tempore ita fieri dicamus, ut altera alteram quodammodo in se contineat.

Exempla sunt haec: *cum de iure et legitimis hominum controversiis loquimur, et in his rebus vim nominamus, pertenuis vis intelligi debet* (Caecin. 16); *fortitudinem quoque expediunt, cum tradunt* (Off. III, 33. Add. Catil. I, 8; Verr. V, 37). Sed ut de tempore dicitur: *cum ita dicis, quaero* (Caecin. 12); *cum lego* (epistolas tuas), *minus mihi turpis videor* (Attic. IX, 6), ita etiam: *Saepe soleo audire Roscium, cum dicat* (Or. I, 28). Imperfecti ratio explicata est; illustratur his locis, quos ex permultis delegimus: *Cum haec scribebam* (Fam. XII, 6 et 24); *cum mari plurimum poterant* (Verr. V, 37); *cum interea nulla vox audiebatur* (Verr. V, 62); *id cum faciebat, nemo dubitabat* (Verr. II, 13); *cum iste iam decedebat, literas misit* (ib 70); contra: *ad urbem cum esset, audivit* (Verr. II, 8); *Zenonem, Athenis cum essem, audiebam frequenter* (N. D. I, 21), quibus verbis egregie nostra confirmatur opinio; *cum loquerer cum Phania, veni in eum sermonem* (Fam. III, 5); *cum omnes insidias fieri videret, capit consilium* Verr. II, 17); *saepe ex eo audivi, cum diceret* (Or. II, 33). Perfectum, quod aoristi vim habeat, ubique inveniemus. Dubito, an coniunctivus perfecti sit: *cum iudicaveris* (Lael. 22) propter ea, quae supra attuli: *nunc, cum dixerit,* (Verr. I, 28). Mecum non videtur dissentire *A. Grotefendus,* qui similem locum (Fin. V, 15) eadem ratione interpretatur (ausführl. Gr. d. lat Spr. II, p. 242), *Goerenzium* secutus. Plusquamperfecti coniunctivi usus cum frequentissimus sit, indicativi potius exempla duo afferemus. *Cum iste multa signa dederat, quamobrem responsurus non videretur, mentio de lege nulla fiebat* (Verr. V, 69); *cum Pompeius bellum in Hispania acerrimum et maximum gesserat, quo iure Gaditana civitas esset, nesciebat* (Balb. 6)? Ita *Livius* (XLV, 34): *Iam Synnada pervenerant, cum Eumenes ad Sardes undique exercitum contraxerat.*

Cum unam vidimus significare actionem ex multis, quae repetitae cogitari possent. Recte dicitur: *qui non defendit, cum potest* (Off. III, 18); *philosophiae praecepta renovabamus, cum licebat, legendo* (Ac. I, 3); *ager cum multos annos quievit, uberiores efferre fruges solet* (Brut. 4); *cum sunt docti a peritis, desistunt facile a sententia* (Off. III, 3); *cum ad oppidum aliquod venerat, eadem lectica usque ad cubiculum deferebatur* (Verr. V, 11), ut sexcenta alia; sed coniunctivo non minus recte haec efferuntur: *cuius vita ipsi potest utilis esse, cum eius vitae ea condicio sit* (Off. III, 21)? *cum iurato sententia dicenda sit, meminerit* (Off. III, 10); *quis non, cum haec videat, riserit* (Legg. II, 1); *neque ea cum dicerem, me esse histrionem*

necesse esset (Or. III, 22); *cum paullum firmitatis accesserit, et animo utuntur et sensibus* (Fin. V, 15); *cum premeretur inops multitudo, ad unum aliquem confugiebant* (Off. II, 12), ubi, ut in iis, quae proxime sequuntur, actio cogitatur saepius repetita, sed incertis temporis ea disignati momentis; *Epaminondas cum in circulum venisset* (*Nep.* XV, 3); *cum praetor quaestionem inter sicarios exercuisset* (Fin. II, 16).

Denique exempla mihi *particulae causalis* afferenda sunt: in qua re ita versabor, ut coniunctivi pauca, indicativi satis multa exhibeam, quoniam, cum de illo nemo dubitet, sunt, qui huius pauca tantum et incerta vestigia apparere putent. Indicativi igitur usus qui fuerit, statim perspiciet, qui locorum, quibus sententiam primariam hac temporali ita contineri videmus, ut cum ea simul cogitetur necesse sit, rationem diligentius secum considerarit. Verba *Ciceronis: Cum in portum dico, in urbem dico* (Verr. III, 37), ita comparata sunt, ut portus commemoratione cogitatio simul urbis in audientium animis exoriatur. Illa igitur commemoratio causa quodammodo est huius cogitationis, sed causa, quae in eo tempore latet, quod unum quoddam factum designat. Iam si dicit: *pervertunt fundamenta naturae, cum utilitatem ab honestate seiungunt* (Off. III, 28); *non mihi videntur considerare, cum physica ista valde affirmant, earum etiam rerum auctoritatem, si quae illustriores videantur, amittere* (Ac. II, 41); *cum Collatino collegae Brutus imperium abrogabat, poterat videri facere iniuste* (Off. III, 10); *Callicratidas vertit ad extremum omnia, cum consilio non paruit* (Off. I, 24); nonne id dicit, quod homines, quod Stoici semper constanterque faciunt, quod Brutus, quod Callicratidas eo ipso, quod commemoratur, temporis puncto perfecerunt? Omnibus his locis dicere poterat: *eo, quod*; sed tempus significans cum tempore causam simul vel condicionem ex temporis ratione pendentem significabat. In his indicativi usus legitimus est, sed coniunctivi, cuius usum causalem ex temporali ortum esse, ostendit Liv. XXXVII, 4: *coelo sereno interdiu obscurata lux est, cum luna sub orbem solis subisset*; et Cic. Tusc. V, 20: *Dionysius cum in communibus suggestis consistere non auderet, concionari ex turri alta solebat*; Off. I, 2: *cum statuissem scribere ad te aliquid, ab eo ordiri volui*; coniunctivi igitur non minus legitimus in illis: *cum prohiberet iniuria tenuiores, aequitate constituenda summos cum infimis pari iure tenebat* (Off. II, 12); criminabatur, *cum diceret* (Mil. 5; cf. Attic. XIV, 13 ad Anton.), quae ita tantum differunt a superioribus, ut actionem incertis temporis, quod ea notatur, momentis repetitam habeamus. Denique causam per tempus eamque, quae in hoc incidit,

actionem ita recte *Cicero* designat: *tibi gratias ago, cum tantum literae meae potuerunt* (Fam. XIII, 24); *cum in Matii familiaritatem venisti, gaudeo* (Fam. VII, 15); *te, cum eo animo es, satis laudare non possum* (Mil. 36); *praeclare te habes, cum is ordo tibi est inimicissimus* (Verr. II, 61); *tu, cum eo tempore mecum esse non potuisti, quo operam desideravi tuam, cave festines* (Fam. XVI, 12); *cives nunquam oportebit consilii sui poenitere, cum fidem senatus difficillimo reipublicae tempore secuti sunt* (Phil. XIV, 11); *quod cum ita est* (Quinct. 20), quod ponendum erat, cum causa in eo tempore, quo defensus est iudicio absens Quinctius, et in hac ipsa defensione inesse dicatur. Fluctuant tamen interdum interpretes. Omitto Fin. I, 4; V, 20, quos locos supra attigi; etiam Phil. IV, 6 cum *Garatonio* scribendum esse puto: *concordiam civium qui habere potest (Antonius), nullam cum habet civitatem*; intelligitur enim tota, quae tum erat, Antonii condicio. Ubi coniunctivum usurpant Romani, ibi infiniti quaedam subest temporis notio. Verba: *Cum eo es animo* animum significant, quem eo tempore, cum causa in iudicio agebatur, omnes, qui aderant, ipsi videbant; si Cicero dixisset: *cum eo sis animo*, universe eum animum fortem, quem qualibet occasione oblata Milo ostendere solitus esset, laudis suae causam esse praedicavisset. Ex innumeris duo leviter perstringamus. *Quanto vos studio convenit sociorum salutem defendere, praesertim cum de vestris maximis vectigalibus agatur* (Imp. Pomp. 6); ubi non solum id tempus dicit, quo de ea re loquitur, orator, sed universe, si totius rei ratio habetur. *Quod me saepe accusas, cur hunc meum casum tam graviter feram, debes ignoscere, cum ita me afflictum videas* (Attic. III, 13); de toto statu suo cogitat, eumque gravem visum iri Attico putat, quocunque eum tempore respiciat. Non negamus, saepe particula *cum* etiam causas afferri, quae ad probandum aliquid aut ad agendum movere aliquem et impellere possint, ut tota sententia ex cogitatione et deliberatione eius, de quo narramus, apta et suspensa sit; sed ex his ipsis, quibus usus sumus, exemplis intelligitur, non semper particulam causalem ita usurpari: id quod statuit nuper *Weissenb.* Synt. p. 352; Grae. p. 477.

Postremum vix videtur necesse esse eos quoque locos illustrare, quibus causa affertur, cui exitus non respondet. Totam enim rationem prorsus eandem esse, ipsi docent. Ita indicativum ex regula posuit *Sallust.* (Catil. 20): *cum tabulas, signa, toreumata emunt, tamen divitias vincere nequeunt*, et *Cicero* (Fam. III, 7): *cum ea consecutus nondum eram, tamen vestra nomina nunquam sum admiratus*; Verr. act·

I, 2: *cum multae mihi a C. Verre insidiae terra marique factae sunt, nunquam tamen tantum periculum mihi adire visus sum, ut nunc in ipso iudicio*; atque haud scio, an Fin. V, 23: *virtutes cum ita copulatae connexaeque sunt, ut omnes omnium participes sint, tamen proprium suum cuiusque munus est*, ubi paullo festinantius *Goerenzius*, nullo modo, ait, *cum*, si, tamen sequente, *licet* valet, indicativo iungi potest. *) Coniunctivi exempla large ubique praebent Grammatici.

Haec vero si non sine omni veritatis specie disputata sunt, una illa regula videri possit inventa esse, qua tota res nititur. Sive causale est *cum*, sive temporale, nunquam per se cum hoc vel ilio verbi modo consociatur; indicativus aut coniunctivus pro sua semper vi ac natura nostro iudicio ac voluntate ad id, quod mente concepimus, declarandum adhibendus est.

---

*) Possumus in his explicandis interdum ad ellipsim satis frequentem confugere. Omittitur enim interdum sententia adversativa; de qua re vid. Beier. ad Off. III, 7; *Kühn.* ad Tusc. II, 4; III, 6; *Klotz.* Quaest. Tusc. p. 101. Tusc. I, 35, 85, ubi ab aliis alia tentata esse constat, equidem supplere soleo: *quamquam a bonis visus esset discedere.*


Jahresbericht.

Im *Lehrercollegium* ist im Laufe des Jahres keine Veränderung eingetreten; auch der *Lehrplan* ist unverändert derselbe geblieben, der sich uns in einer Reihe von Jahren bewährt hat. Im Wesentlichen ist derselbe auch für das nächste Lehrjahr beibehalten worden; nur in folgenden drei Punkten haben wir geglaubt, kleine Abänderungen treffen zu müssen.

1) Wir hatten bisher, wie fast überall in unsern Gymnasien geschieht, und wie noch erst neuerlich wieder für die Preussischen Gymnasien angeordnet worden ist, für den *Unterricht in der Religion* 2 Stunden wöchentlich in jeder Klasse angesetzt. Diese Stundenzahl schien für einen gründlichen und umfassenden Unterricht nicht auszureichen. Nach sorgfältiger Erwägung wurde daher festgestellt, dass in dem für das nächste Jahr zu entwerfenden neuen Lehrplan für jede der vier unteren Klassen (denn in der Regel werden bei uns die Schüler aus der dritten und zweiten Klasse confirmirt;) drei Stunden dieser Wissenschaft bestimmt werden sollten.

2) In Prima wurde bisher noch immer eine zweite Stunde für den *Unterricht in der deutschen Sprache* vermisst. Herr Collaborator Dr. *Schütt*, der diesen Unterricht in 4 Klassen mit grosser Gründlichkeit ertheilt, kam meinem Wunsche durch seine Bereitwilligkeit entgegen, so dass die lange gefühlte Lücke leicht ausgefüllt werden konnte. Dem wichtigen Unterricht in der Muttersprache sind daher in Zukunft in 5 Klassen 11 Stunden wöchentlich bestimmt, in der Vorbereitungsklasse (Quarta) 3, in jeder andern Klasse 2.

3) Es ist immer mein Bestreben gewesen, den beiden unteren Klassen unserer Anstalt, so viel möglich, eine solche Einrichtung zu geben, dass sie auch von *Kindern*,



END OF TITLE